

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1746)
Heft: 3

Artikel: Sensus clarissimi viri I. I. Zimmermanni, de vero ac legitimo usu s. coenae : et consensus cum ecclesiae ac maiorum doctrina expositus a I. I. Breitingero.
Autor: Zimmermann, J.J. / Breitinger, J.J.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394585>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 27.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

SENSUS

Clarissimi Viri J. J. ZIMMERMANNI,
De Vero ac legitimo Ufu
S. COENAE:

Et CONSENSUS cum Ecclesiæ ac Majorum
Doctrina
expositus a J. J. BREITINGERO.

„ Meditatio S. complectens salutaria quædam
„ Monita ad verum & legitimum usum S. Cœnæ
„ pertinentia. Pars prior. Præsiede Clariff. J. JA-
„ COBO ZIMMERMANNO: Respondente Ro-
„ dolpho Zieglero, V. D. M. Assumente *Conrado*
„ *Wirzio*, S. Theol. Stud. Postridie Synodi autum-
„ nalis. Tiguri. MDCCXXXVI. in 4. 5. plag.

QUam sinistras plurimi & perversas de virtute
& usu Sacri hujus Epuli animo foveant
opiniones, nemini potest esse obscurum,
qui ad Christianorum omnis ordinis circa hoc
negotium praxin attenderit: & diu est, quod
Viri quidam cordati, qui λογικὴν λατρείαν in Ec-
clesia Dei serio promotam cuperent, non sine
mœrore animi conquesti sunt, plurimos sibi fa-
natico quodam errore ex Epulo hoc sacro novum
confingere Idolum, ac temere sibi persuadere,
non dari aliud efficacius ad commissorum a Deo
veniam impetrandam & cum Deo in gratiam re-
deundum subsidium, quam si mente aliquantum
ad devotionem composita Cæremoniam hanc my-
sticam, ab ipso Christo traditam, externo ritu
cum

cum Ecclesia Dei celebrarent, falsa opinione decepti, quasi cum usu externorum Symbolorum nescio quæ physica & insolita vis, quæ animas mira ratione pascat, necessario conjuncta sit. Ex pluribus, quos hoc nomine collaudare possem, Theologis prorsus eximiis, unum tantum in præsentiarum excitabo, Virum pie doctum & singulare Ecclesiæ nostræ decus, celeberrimum J. J. LAVATERUM, qui biennio abhinc in Corollaris Dissertationi de *Unitate & Perfectione Oblationis Christi*, adjectis. §. VI. in hanc rem graviter ita pronuntiat: *Qui temere sibi persuadent, eo quod sæpius in Usu S. Cœnæ Symbola Corporis & Sanguinis Christi in Cruce pro nobis fracti atque effusi acceperunt, se etiam certa absolutionis suæ a peccatis pignora possidere, Papistico more ex Mensa Domini altare Expiationis faciunt.* Neque adeo mirum est tantopere invaluisse hunc errorem, quum vix alius excogitari possit, qui ingenio humano ad libidines proclivi plura indulgeat, aut Carni Religionem commendabilem magis reddat, quam hic ipse, qui hominibus persuadet, una panis buccella, unaque vini Sorbitione in usu S. Cœnæ, cum piis quibusdam meditationibus ad tempus conjuncta, per vices omnes superiorum peccatorum sordes elui ac mentem male sibi consciam ad tranquillitatem reduci, imo etiam peccandi impunitatem redimi posse. Hæc quum apud animum suum perpenderet Vir defœcatæ Veritatis ac Pietatis adversus omnes Superstitionis fraudes rigidus Defensor Clarissim. ZIMMERMANUS, simulque intelligeret, quantum fideles Ecclesiæ Doctores, quibus perspicuæ Veritatis major, quam fucatæ Eloquentiæ cura esset, adversus perniciofa hominum

num

num Præjudicia possent, operæ pretium sibi facere visus est, si S. Ministerii Candidatos Cautelis quibusdam iustrueret, atque ipsis arma etiam suppeditaret, quibus aliquando adversus practicam hanc de physica S. Cœnæ virtute Hæresin maximo cum fructu uti possent. Et profecto non possumus non ejus in delectu hujus argumenti prudentiam ac pietatem laudare: nobis enim semper placuit illud summi Theologi beati *Werenfelsii* Consilium in *Dissertatione adv. carnalem Securitatem*, quod ita habet: *Quum exercitia nostra disputatoria considero, in quibus sæpe disceptatur de rebus gravibus, sæpe etiam de rebus (si modo de REBUS) haud adeo magni momenti; ubi hæreses aliquando impugnantur exitiales; sed aliquando & opiniones innoxia, neminemque e regno cælorum excludentes: Cum, inquam, hæc nostra exercitia considero, in mentem mihi venit, posse a nobis forte institui Progymnasmata Academica Nasiræis nostris longe utiliora: qualia meo judicio essent illa, quibus apti redderentur ad vitia & impietatem validis & solidis argumentis impugnandam. Nimirum Pastores ovium Christi nobis in Scholis nostris formandi sunt: quorum humeris cum gravis cura animarum incumbit, rara illis adversus Hæreses & perversas opiniones, quas apud nos debellare didicerunt, pugnandi occasio offertur; cum vitis & peccatis, cum crescente indies morum depravatione perpetuum & quotidianum ipsis prælium est. Ad hoc igitur, si operæ pretium facere volumus, longe magis, quam ad quidvis aliud, hi nobis sunt instruendi.*

In priore autem hac Dissertatione Clariss. ZIMMERMANNUS gravissimam hanc Causam ita egit, ut postquam §. I. susceptæ Meditationis Scopum explicasset, statim §. II. Argumenti hujus Dignitatem

tatem & Præstantiam ita commendaret, ut de necessitate ac insigni utilitate ejus vix sublimius quicquam, salva veritate, prædicari possit. Deinceps vero §. III. eorum obviam ire criminationibus visum est, qui Reformatorum de S. Cœna sententiam veris ad Pietatem Incentivis destitui cavillantur: mox etiam §. IV. ostendere, usum S. Cœnæ inter Christianos firmissimum pro historica Religionis Christianæ Veritate argumentum suppeditare. His, ut omnem vitilitigandi ansam præcideret & declararet, quam pie de augusto hoc ritu sacramentali sentiret; præmissis, propius ad Institutum accedit, atque §. V. varios hujus Sacramenti inter Christianos abusus percenset: In quorum dehinc Causas diligentius inquirendum sibi, & qua ratione optima huic malo medicina afferri possit, præcipiendum esse statuit: Et quum duplicis generis has Causas esse vel *internas*, vel *externas*, animadverteret: Inter *has* primum merito refert, §. VI. floridum, translatis ac mysticis locutionibus pictum, & tantum non fucatum dicendi genus, quo mire sibi placent nonnulli Oratores sacri, vel Scriptores ascetici, qui de hoc negotio aut loquuntur, aut scribunt, quo vero animis hominum simplicioribus sensim sensimque crassi falsique de natura & finibus S. Cœnæ conceptus ingenerantur: Quo vitio passim laborant Libelli ascetici, quibus populares nostri promiscue utuntur, & quos non prudens Ecclesiæ judicium aut consilium; sed casus, aut eorum, qui in Libris edendis sumtus facere solent, arbitrium in manus subministravit: Contra ob perspicuam Simpliciter commendantur Illustr. Præsulis Wintoniensis

ensis HOADLEII Libellus dogmaticus *sur la Nature, le but & les effets du Scrament de la S. Cene*, & Reverendi Viri J. Rodolphi OSTERWALDII, *Friderici Filii*, practicus Libellus Basileæ nuperrime editus sub titulo: *Le Devoirs des Communians*. Hac occasione §. VII. hanc Quæstionem movet: Utrum ad Unionem Protestantium promovendam in hoc argumento de Cœna S. phrasibus generalibus & æquivocis, quibus utraque pars dissentientium subscribere posset, uti expediat? Ubi ex *Bossueto* docetur, quantopere hæc loquendi ambiguitas, cui *Calvinus* & *Bucerus* nimium studebant, Reformatæ Doctrinæ fraudi fuerit. Hinc §. VIII. recte concludit, nonnisi phrasibus & loquendi formulis, quæ in N. T. a Christo & Apostolis usurpantur, unice in hac Causa insistendum esse. Atque quum SIGILLI vocabulum ex eorum numero sit, in quibus practicus iste Error de physica Symbolorum in S. Cœna virtute præsidium quærit, §. IX. prolixè disputat, quo Sensu S. Cœnæ hæc appellatio convenire, atque quousque hæc Comparatio, salva divinæ Gratia gloria, urgeri possit, quam suam Sententiam etiam b. *Zuinglii* & *Oecolampadii* diserto consensu firmat. Et quandoquidem etiam S. Pauli locus I. Cor. X: 16. 17. in alienum sensum ad funestum hunc Errorem incrustandum a nonnullis trahi solet, §. X. data opera eundem a *παρεργ-μυνησια* vindicat, ejusque genuinam Sententiam in clara luce ponit, quam deinceps §. XI. rursus b. *Zuinglii* & *Bullingeri* testimoniis stabilit, & quam nullum Error iste in h. l. firmamentum inveniat, dilucide demonstrat. Denique §. XII. eam

eam Quæstionem cum cura diligenter examinat: Utrum Gratia quædam specialis cum legitimo usu S. Cœnæ, quantum ad pios & justificados attinet, sit necessario conjuncta? quam Quæstionem negat; quo ipso tamen non negat (pag. 35. lin. 16. seqq.) *Deum aliquando (in ipsa Cœnæ S. celebratione) singulari letitia piorum animos perfundere, hacque etiam occasione, pro liberrima sua gratia, uti, ad conferendum ipsis novum aliquod Gratia incrementum.*

Qui in funesta illa Historia Sacramentaria non plane hospites sunt, ignorare aut diffiteri non possunt, omnes circa hanc Doctrinam Errores, sive theoreticos sive practicos, uti maximam partem improvido cuidam & intemperanti mysticarum locutionum & sublimioris dicendi generis studio, quod in Ecclesia Dei sensim sensimque invaluit, originem suam debent; ita deinceps semper in usu consecratis obscuris & ambiguis orationis formulis omne suum præsidium quæsisse: Quo factum est, ut quamprimum & quotiescunque exorti sunt perspicuæ Veritatis studiosi Viri, qui nihil in Religione admittendum esse censuerunt, nisi quod aut in S. Literis clare esset traditum, aut quod perspicue expositum intelligi posset, ab illis, quibus perspicuitatis Lux in Religionis negotio invisâ fuerat, acriter impeterentur, & tanquam religionis, mysteriorumque contemptores, Doctrinæ Majorum, receptarumque ab Ecclesia formularum desertores haberentur. Hujus injuriæ memores pii Majores nostri atque ipsa experientia edocti, quantum obscuræ & ambiguæ dictionis in hac causa consecratio veritatis cognitioni obsuisset, contra vero

errori confirmando profuisset, ne quidem in Fratribus & Symmystis ferre deinceps potuerunt; quosdam ex illis conciliandæ pacis studio Sermōnis ambiguitati nimium indulgere: Ejus rei documentum cito, quod mihi ad manus est, ipsa BULLINGERI nostri manu conscriptum sub hac Inscriptione: *Confessio Fidei Doctrinæque de Cæna Domini, exhibita Illustriss. Principi Wirtembergensi, Autoribus D. Theodoro Beza & D. Guilhelmo Farello: Cui accesserunt Annotationes BULLINGERI requirētis in Autoribus Simpliciter: Scripta Augusti prima MDLVII. In fine additur Forma, quam subjecit Beza, ut si quos offenderat placare possit: 1588.* In posteriore hoc Scripto Beza istam prudentiæ Theologicæ Regulam suæ Declarationi fundamenti loco substernit: *Non putamus, nisi summa urgente necessitate, in iis præsertim rebus, quæ maximi sunt in religione momenti, novanda esse ulla vocabula, vel dicendi genera, quæ in Scripturis non inveniuntur. Deinde quoties id faciendum erit, optamus summum haberi delectum, ut plana prorsus ac minime ambigua sint, quæ usurpanda videbuntur, idque si fieri possit, communi Ecclesiæ consensu.* Et ut constet eandem etiam fuisse hac de re Celeberrimi Bernatum Theologi Wolfg. MUSCULI mentem, Epistolam ejus ad Bullingerum ἀνευδοτον occasione hujus Confessionis scriptam huic rei illustrandæ mire inservientem adtexam:

S. Accepi tuas, BULLINGERE Compater in Domino charissime, quibus a me petis, quid de Confessione D. Farelli ac D. Bezæ hac æstate Gepingæ de Cæna Domini scripta & Principi Wirtemp. oblata sentiam. Cum eam huc D. Haltero Compatri meo misisses: non satis persuadebas

bar tale quid a duobus istis Fratribus in Domino charissimis esse factum. Jam vero quoniam eam Calvinus noster ab ipso Beza acceptam Petro Martyri misit, contristor admodum, ac vehementer miror, quænam fuerit ipsis necessitas sine Symmiltarum, præcipuorum saltem, conscientia talem componere Confessionem, illique tituli vice præmittere, *quod ad hunc modum in Ecclesiis Helveticis & Sabaudicis doceatur.* Sunt hi duo Fratres digni, quos merito habeamus in pretio, cum pietatis & eruditionis nomine, tum quod Senior ille ac Veteranus Christi Miles fideliter ac dextre Causæ Veritatis propagandæ multos jam annos haud absque fructu servivit. Quare me factum illorum hoc amplius turbat, quo vel nobis, vel sibi ipsis negotium pepererunt, si processurum sit Colloquium, quo magis utrumque in Domino amanter complector. Ceterum quæ de substantia Christi, Carne videlicet ac Sanguine ejus, ac illius præsentia in Cœna scribunt, meo judicio, magis Disputationis, quæ per illa inter nos excitari poterit, quam Conciliationis cum Lutheranis Fratribus ineundæ materiam habent. Quare ejusmodi locutiones non probo, quemadmodum nec illud, quod modum præsentia hujus soli Deo cognitum esse, & tamen a nobis credi dicunt. Habes paucis, quæ ad Tuas respondere visum est. De Colloquio WORMATIENSI, si quid habes, communica. Ad me scribunt Augustani *Philippum* cum *Paulo Ebero* transisse LEIPZIAM, rursus WORMATIAM. Si nostros sint Principes Evangelici vocaturi, cogitate isthuc quid & nos facere deceat; & Ecclesiis Christi prosit. Optime vale Compater in Do-

mino charissime, Salutem dicas meo nomine tuis omnibus, deinde & D. Bibliandro, & D. Gualthero, & D. Petro Martyri, & D. Bernardino, ac reliquis tuis Symmiltis. Urget subinde D. Hallerus, ut vos aliquando invisam, verum sic sum partim Senio, partim pigritia corporis ad tantum itineris ineptus factus, ut nec eques ad vos, nec pedes ire queam. *Mein Wandern ist nun mehr im Sinn, wie eines armen Manns Buchern.* Si vota quid possent, ad vos & alios amicos crebro venirem. Bernæ 1557. 20: Aug.

W. Musculus tuus in Domino totus.

Neque vero diffiteri possumus hoc nostro adhuc tempore dari inter Doctores, & Christianæ pubis formatores, qui pio quodam animi affectu in commendando S. Cœnæ usu, incautius aliquando agant atque loquantur, & mysticis quibusdam S. Scripturæ phrasibus in hoc argumento intempestive abutantur, quin etiam ingenio tantum indulgeant, ut ambiguas quasdam Orationis figuras, emblemata, imagines, comparationes supra quam hujus Sacramenti natura patitur, urgeant atque extendant, quo fit, ut mentes simpliciores in eam de efficacia & virtute S. Cœnæ adducantur opinionem, aut quæ hoc errore jam sunt imbutæ, in eo confirmantur, quasi vel sola celebratio S. Cœnæ cum aliquo pietatis affectu usurpata, solum, certissimum & evidentissimum hominis vere Christiani Signum, & præsentissima adversus peccatum ac Conscientiæ angores medicina foret. Quid igitur salutarius, quid Ecclesiæ Dei utilius, quid muneri, quid tempori, quid loco, aptius suscipere potuisset Clariss. Zimmermannus, quam quod S. Ministerii

nisterii Candidatos accurate monuit, ut primo ipsi distinctos de hoc argumento conceptus animis suis informarent, deinde ut in suis institutionibus Simplicitati studerent, & ab obscuris ac ambiguis loquendi modis ac formulis, quibus alii in errorem induci possent, caute abstinerent. Neque morabitur quenquam, qui perspicuam Veritatem amat & superstitionis fraudes abhorret, intemperantia quorundam, qui quamprimum audiunt Simplicitem in docendo desiderari, atque sentiunt, ita sibi omnem illum figurarum, Imaginum, Comparationum, mysticorumque Carminum, quibus in commendando S. Cœnæ usu & virtute ejus deprædicanda cum imperitorum applausu hactenus incautius usi sunt, apparatus eripi, confestim clamant ac vociferantur, ipsam orthodoxam Veritatem, Majorumque Doctrinam turpiter deserere, Sacramentorum dignitatem imminui ac pro inanibus elementis ea venditari. Nihil hic novum aut insolens accidit: Eadem semper Juditur fabula. Potius monendi sunt illi, ut sanctam hanc indignationem aliquantisper temperent, & placido ac sedato animo rectius cognoscant prius, quæ fuerit Majorum nostrorum de S. Cœnæ natura, usu, finibus Doctrina, quam aliis desertæ ac proditæ illius dicam impingant. Interim confido, rem me facturum, quæ Ecclesiæ Dei possit esse admodum utilis, si hac occasione, qua ex variis hominum de Clariss. *Zimmermanni* dissertatione Judiciis cognitum est, quam variis Error de confictio S. Cœnæ usu illudat partibus, inductis Majorum disertis Testimoniis testatum faciam, Clariss. *Zimmermannum* cum Sanctissimis his viris de hoc ar-

gumento in hac Dissertatione & sentire & loqui; adeoque eum, qui aliter sentiat, aut loquatur, orthodoxæ Doctrinæ & Reformatorum partes deferere jure merito censendum esse, quanquam omnium Theologorum nomina & Systematum titulos perinde ut digitos suos in numerato haberet.

Quod itaque primum Virtutem & Efficaciam S. Cœnæ adinet, beatus ZUINGLIUS noster in primo *Tractatu de Baptismo* Opp. Tom. II. p. 60. hæc habet: *Germani quoties vocem Sacramenti nominari & proferri audiunt, mox (ut rerum rudes sunt & imperiti) rem quandam sacram sibi imaginantur, quæ a peccatis liberare, & Sanctimoniam donum nobis conferre possit. Est autem Error hic ingens simul & perniciosus. Christianos enim homines nihil aliud a peccatis mundare & sanctos justosque reddere potest, præter Christum Jesum, unicum totius mundi Redemptorem. Externis autem hæc tribuere nefas & perniciosum est. Errorem quippe hunc voces has stultas & impias parere videmus, quibus hodie non pauci, Sacramenta rem sanctissimam, & UNICUM afflictæ animæ SOLATIUM sibi eripi quiritantur. Cum tamen nemo illa e medio auferre, sed in verum & legitimum usum eadem hæc reducere, non profanare vel corrumpere, conetur. Sacramentorum autem corruptores & profanatores sunt, qui quod Deus illis negavit, iisdem tribuere consueverunt. Sacramentum ergo (quatenus nostro proposito servit) Symbolum externum, quo quales simus, & quodnam nostrum sit officium testamur, significat. Ut enim qui Crucem gestat albam, sese Helvetium esse, & posthac semper fore testatur: & qui quotannis Nevellas profectus Deo O. M. Victori ob victoriam patribus nostris illic loci concessam*

cessam gratias agit, jam animum quoque Helvetiæ studiosum sibi esse prodit: Sic qui Baptismi Signo consignatus Deo initiatur, se Dei auditorem & discipulum posthac fore promittit, huius denique statutis & legibus sese pariturum pollicetur. Qui vero primæ huic initiationi etiam hoc jungit, ut per solennem illam populi Christiani Eucharistiam cum universa omnium fidelium Ecclesia Deo Patri propter Christum exhibitum gratias agat, is jam animum quoque, qualis sit, aperte prodit, immo talem se esse testatur, qui Christi morte unice gaudeat, & pro hac summam gratitudinem referre paratus sit. Hoc igitur a clamosis istis & Stentore vocalioribus impetrare cupio, ut Sacramenta id, quod re vera sunt, esse sinant; ne dicant Sacramenta esse Signa quædam, quæ id ipsum quoque sint, cuius Signa esse dicuntur. His plane consona sunt, quæ habet idem Vir præclarissimus in Fidei Ratione ad Carolum Imp. Opp. Tom. II. p. 541. Credo, immo Scio, omnia Sacramenta tam abesse ut gratiam conferant, ut ne ADFERANT quidem aut dispensent. Qua in re forsân audacior tibi videri poterô, Potentissime Cæsar. Sed stat sententia. Nam Gratia ut a Spiritu divino fit aut datur, ita donum istud ad solum Spiritum pervenit. Dux autem vel vehiculum Spiritui non est necessarium, ipse enim est Virtus & Latio, qua cuncta feruntur, non qui ferri opus habeat: Neque id unquam legimus in Scripturis S. quod sensibilia, qualia Sacramenta sunt, certo secum ferrent Spiritum, sed si sensibilia unquam lata sunt cum Spiritu, jam Spiritus fuit qui tulit, non sensibilia. - - - Veritas hæc locuta est: Non igitur hac mersione, non hoc haustu, non illa deunctione adfertur Spiritus gratia: Nam si Sacramentis alligata est Gratiæ præsentia & efficacia,

iam quo afferuntur operantur : quo non adhibentur ,
 flaccescunt omnia. Nec est ut materiam sive Subjectum
 causentur Theologi, quod hujus dispositio ante requira-
 tur, h. e. quod Baptismi aut Eucharistiæ Gratia (sic
 loquuntur isti) ei conferatur, qui prius sit ad hoc
 adornatus. Nam is, qui istam per Sacramenta grati-
 am recepit, secundum ipsos, aut ipse se ipsum ad
 hoc præparat, aut a Spiritu præparatur. Si se ipsum
 præparat, ergo & ex nobis aliquid possumus, &
 gratia præveniens nihil est. Si a Spiritu præparatur
 ad Gratiæ acceptionem, quæro an hoc etiam fiat Sa-
 cramento duce, an extra Sacramentum. Si Sacra-
 mento mediante, ergo Sacramento paratur homo ad Sa-
 cramentum, & sic usque ad infinitum processus erit :
 Si vero citra Sacramentum præparamur ad sacramen-
 talis Gratiæ acceptionem, ergo Spiritus sua benignitate
 adest ante Sacramentum, & perinde Gratia & facta
 & præsens est antequam adferatur Sacramentum.
 Ex quibus hoc colligitur, (quod in re Sacramentaria
 volens ac libens admitto) Sacramenta dari in Testimo-
 nium publicum ejus Gratiæ, quæ cuique privato prius
 adest. Similiter in Responsione ad Lutheri Confessio-
 nem Opp. Tom. II. p. 517. b. pari modo argu-
 mentatur, ut Clariss. Zimmermannus Dissertatio-
 nis suæ §. IX. Si Lutherus infidelibus ac impiis pec-
 cata nequaquam per Sacramenta remitti dixerit, quin
 illos potius judicium simul ac mortem sibi manducare :
 Sequitur fidem præcedere necessario oportere, priusquam
 peccatorum remissio subsequatur : Illud certe firmum ad-
 huc & indubitatum consistit, quod peccatorum remissio
 in fide tam conferatur, quam suscipiatur. &c. In
 Clariss. Zimmermanni Dissert. §. VIII. p. 17. sequen-
 tia verba sinistra & iniquius accepta sunt : „ Si
 „ IV Evangelistas & Paulum ad Corinthios de
 „ hoc

„ hoc argumento agentes legamus, *NIHIL ALIUD* exinde discimus quam hoc : Christum Soterem nostrum, morti proximum panem & vinum discipulis suis dedisse, eum in finem, ut ipsi, & secuturi omnes Christiani passionem suam cruentam religiose & grato animo sibi in memoriam revocent, seque hac ratione ad officia pietatis & charitatis obstringant. „ Verum enimvero idem prorsus iisdem etiam verbis b. *ZUINGLIUS* diversis in locis affirmat; e. g. *Libro de Baptismo* Opp. Tom. II. p. 85. b. *Cœna dominica, Si Dei Verbum & primam illius Institutionem inspicias, NON ALIUD quam Commemorationis nomen meretur, nec ullum nomen aliud ex S. Litteris huic accommodari poterit.* Et in sua *ad Lutheri Librum Respons.* Opp. Tom. II. p. 382. *Sacramenta, ignominiose tractant & infamant, qui quod revera non habent ipsis tribuunt, & Sacramenta, quæ NON ALIUD quam sacræ rei Signa sunt, ipsas res sacras esse docent.* Dedita vero opera hunc locum de Sacramentorum Virtute tractat b. *ZUINGLIUS* in *Expositione Fidei paulo ante mortem ad Regem Christianum scripta*, ubi post Locum illum a Clariss. *Zimmermanno* in *Disert.* §. IX. pag. 22. citatum, Septem diversas S. Cœnæ virtutes commemorat, in quibus autem nulla est, quæ aliquam huic Sacramento justificandi vim tribuat. Idemque prorsus in *Epistola ad Principes Germaniæ* Opp. Tom. II. p. 547. b. seq. succincte ita exponit: *Cum, ut in Baptismo & Eucharistia irrefragabile est, id quod Sacramentis significatur, antequam Sacramentis utamur, adsit; quæ malum ratio est, Sacramentis ea tribuere, quæ antea habuimus? cum Sacramenta id modo quod habemus confiteantur, testentur & exercentur.*

ant : *Quousque tentamus Spiritum Dei in re tam aperta? - - - Frustra igitur erunt Sacramenta? minime, ut dictum est: Prædicant enim Salutem a Deo datam, Sensus huc convertunt, & subinde fidem exercent, quam & proximo pollicentur, & ad Fraternali Charitatem trahunt. Atque hæc omnia dum fiunt, unus atque idem operatur Spiritus, qui in spirando nunc citra instrumentum trahit, nunc cum instrumento, quo, quantum & quem vult. Ut autem pateat, Sanctum quoque BULLINGERUM nostrum eandem de Sacramentorum virtute Sententiam esse secutum, adtexam hic ex *ἁποστολικῶν* lectu dignissimam ejus ad PHIL. MELANCHTONEM Epistolam ante hos ducentos annos conscriptam : Hæc vero ita habet :*

PHILIPPO MELANCHTONI suo
BULLINGERUS.

Gratiam & vitæ innocentiam a Domino. Abstini sesquianno jam a salutandi scribendique officio, Philippe doctissime, idemque colendissime Domine, & Frater charissime, non quod Te amare desierim, aut odisse cœperim : Sed quod infelix illa contentio inter D. *Lutherum* b. m. & nos intercesserit, timui valde, ne si pergerem, uti cœperam, familiarius te salutare & Epistolas ac Libros mittere, D. LUTHERUM in te concitarem, magnamque tibi apud multos morosiores suspicionem excitarem, quasi nobiscum colluderet : Neque enim ignorabam, vel ex ultimis illis ad me tuis edoctus, quæ passus fueras, non ita pridem a Fratribus quibusdam inquietioribus. Jam vero quum D. LUTHERUS migraverit ad Dominum, neque sit ullum periculum
amplius

amplius exacerbationis inter te & illum, quod suggestionibus provocent, quibus Concordia inter Fratres tanti non fit, quanti merito fieri deberet, repeto scribendi officium, ac pergam in eo diligenter, nisi tu nobis significes, quod tibi ne nunc quidem integra & grata sit mea familiaritas. Nolo tibi, colendissime mi Philippe, oneri esse, nolo tibi incommodare: Si non bona cum gratia tua scribere licet, age tacebo libens; interim vero nihil minus te colam & amabo. D. LUTHERUM Virum doctum, & de Ecclesia optime meritum, gaudeo migrasse ad Dominum, non propter causam, quam cum illo habuimus litigandam: Dominus novit; Sed quod malis liberatus maximis, futurisque ereptus calamitatibus, cursum suum feliciter absolvit, & nunc cum Domino nostro, cui servivit, lætatur in gloria: Interim non mediocriter doleo, illo nos Viro destitutos, cujus ope & consilio in communi Religionis causa poteramus juvari: (*) Tametsi enim pro carnis humanæ ingenio sua habuerit vitia, insigne tamen Constantiæ documentum consecutus fortis & tenax fuit in retinenda Sinceritate doctrinæ contra Papistas, quibus nihil concedi voluit per compositiones & colloquia. Vidit haud dubie, pro singulari sua prudentia, homines istos artibus & insyncete, immo maligne, omnia agere. Vidit parum aut nihil iis reliquum esse Spei: Dicit enim Salvator noster in Evangelio: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam a vobis invicem accipitis, & gloriam*

(*) Isthoc de LUTHERO Judicium ex hac Epistola excerptum exhibet Celeberr. J. H. HOTTINGERUS Hist. Eccl. Tom. VI. p. 768.

riam, quæ a solo Deo proficiscitur, non queritis? Expendit ille quod Paulus electionis vas de istis loquens hominibus dixit: *Hi sunt homines mente corrupti, resistentes veritati & reprobi circa fidem, & hos averfare.* Speramus autem te quoque, per Gratiam tibi concessam a Domino, pari constantia & robore Spiritus Doctrinæ puritatem & simplicitatem adversus omnes corruptores asserturum. Quod si ad rem feliciter perficiendam quid consilii & auxilii præstare possumus, omnem nostram operam & nos totos tibi & piis offerimus ac pollicemur. Non abhorret a nobis, opinor, ut impuris tua Pietas Philippe. Respondimus quidem Confessionem brevi D. LUTHERI contra nos editæ, neque enim dissimulare potuimus, quod ille nobis, inprimis autem Præceptoribus nostris p. m. & Ecclesiis nostris impedit: Simul autem Confessionem Fidei & Doctrinæ nostræ vulgavimus, quam quum congruere cum omnium Sanctorum Confessionibus sciamus, speramus illam tuæ Pietati non displicere. De COENA Domini, nisi contra fidem & conscientiam nostram loqui voluissemus, aliter loqui non potuimus, præsertim urgentibus nos Fidei Apostolicæ Articulis & negotio Justificationis: Nam Articuli Fidei quid de Corpore Christi etiam clarificato sentiamus edocent. Justificationis vero Doctrina pura & sincera docet, **NON SACRAMENTIS**, non ullis rebus externis, sed sola Dei Misericordia per Christum, *nos acceptos fieri Patri, sive recipi nos in Gratiam Dei, & exhiberi nobis Dona cælestia vitæ, recipi autem per nos Fide sincera: Ita ut ab ipso solo Deo gratuito conferantur & exhibeantur Dona vitæ,*
reçi-

recipiantur a nobis Fide duntaxat ; Annuncien-
 tur autem verbo , & *obsignentur* Sacramentis. No-
 sti Apostolum Paulum sic docere Rom. IV , u-
 bi ostendit Abrahamum primo quidem justifica-
 tum Fide , dein vero justificatum jam , percepif-
 se Sacramenta , non illa quidem vana & inutilia ,
 licet justificatus esset : *Accepit enim Circumcisionem*
Sacramentum Signaculum seu obsignationem , *Ju-*
stitiæ Fidei , quæ fuerat in præputio. Nosti autem
 parem esse Sacramentorum rationem , maxime
 cum Apostolus idem dicat : *Probet autem se ipse*
homo , & sic de pane edat & de poculo bibat. Ne-
 cesse est ergo Cœna Domini legitime communi-
 cantes prius esse justificados & participes Christi
 factos : Participare autem Cœna , ut accipiant
 Obsignationem Justitiæ Fidei , *Sigillum* , inquam ,
 & *Testimonium* visibile ab ipso Domino institutum ,
 & *testificans* Fideles tradito Corpore & fuso San-
 guine Christi justificados & lotos a peccatis , mem-
 bra Christi & hæredes omnium bonorum Chri-
 sti jam esse factos. Ceterum non institui jam de
 Cœna Domini aut de Sacramentis differere ; tan-
 tum hæc ex occasione dixi. Si autem in Con-
 fessione illa nostra quædam nondum clare & ex-
 plicite satis dicta aut expensa videbuntur , pleni-
 us nos admoniti exponemus : Si vero errare vi-
 demur , libenter erudiri sustinebimus. Agnosci-
 mus Cœnam Domini Symbolum esse Consensio-
 nis & Concordiæ , vinculum denique Pacis &
 Unitatis , ideoque dolet nobis valde id rari a
 Satana & hominibus quibusdam plus satis pug-
 nacibus ad bellorum & discordiæ materiam.
 Cum primis autem ex animo intimisque visceri-
 bus nostris cum omnibus Christum in veritate
 invo-

invocantibus manus & copias nostras conjungere ac pro Ecclesia Christi contra Antichristianos bella Domini gerere suppetiasque Sanctis ferre cupimus: Id quod tibi præcipuo Duci exercitus Domini fraterna mente indicamus, obsecrantes per Christum Regem nostrum & per Charitatem fraternam, ut huic unice omnia tua consilia & vires omnes intendas, quo nos, qui Christum recepimus, Antichristo contradicimus, sepositis Simultatibus compositisque bellis civilibus & intestinis unanimes in Christo efficiamur & simus, unique Principi Christo militemus. Mitto tuæ Humanitati Libellos aliquot Græcos quidem, sed a nostris Latinitati donatos, & hic præterita hyeme excusos, nempe THEODORETI *Libros de Providentia*: TATIANI orationem, & THEOPHYLACTI Antioch. Episcopi *Libr. III. contra Gentes*, & alios quosdam Libellos illis conjunctos, quos muneris loco oro a me accipias. Vale colendissime mi Philippe ac fraterna mente hæc mea accipe, iterumque Vale. Salutant te Fratres & Symmystæ omnes, *Pellicanus, Gualtherus, Bibliander, Buchterus*: Professores item D. *Conrad Gessnerus, Ammianus, Collinus, Werdmyllerus*, & reliqui: Salutabis tu nobis D. *Jonam, Crucigerum, D. Pomeranum* & reliquos Dominos ac Fratres nostros colendissimos. Tiguri. I. Aprilis. 1546. Bullingerus tuus.

Ipsi nunc Sententiam ferant qui hic diffidium aliquod faciunt, an salva orthodoxa Majorum doctrina locum habere possint præconia illa magnifica de S. Cœna tanquam *Medicina, Causa, Vehiculo, Medio & Instrumento Gratiae ac Salutis?*
&

& utrum Fiducia illa in purgandi, vivificandi, justificandi, virtute, quam nonnulli huic Sacramento tribuere videntur, posita subsistere possit? Quærant præterea ex his Viris, quo tandem jure ac nomine hoc Sacramentum SIGILLUM appellari possit? quid aliud respondere poterunt, si quidem sibi constare velint, quam quod Clarissim. *Zimmermannus* Dissertationis suæ §. IX. p. 21. prolixè declaravit. Eant tunc, ac quiritentur, ita S. Symbolorum dignitatem everti, eaque nonnisi inania Signa haberi: Respondet illis magnus *BULLINGERUS* in *Confessione Fidei Ecclesiarum per Helvetiam summaria & generali in hoc edita, quod de ea existimare piis omnibus liceat*, in Articulo de Eucharistia: *Immerito fit nostro maximo, quod quidam parum nos tribuere sacris Symbolis putant. Sunt enim hæc res sanctæ venerandæque, utpote a Summo Sacerdote Christo institutæ & susceptæ, suo quo diximus modo res significatas exhibentes, testimonium rei gestæ præbentes, res tam arduas representantes, & mirabili quadam rerum significatarum analogia clarissimam mysteriis istis lucem afferentes: Ad hæc auxilium operaque ipsi suppeditant Fidei, ac jurisjurandi denique vice initiatum capiti Christo & Ecclesiæ obstringunt. Tam sancte de S. Symbolis sentimus. At vero vivificantis, sanctificantis vim & virtutem tribuimus ei perpetuo, qui Vita est, cui sit laus in secula seculorum. Amen.* Cum his plane gemina sunt, quæ habet b. *ZUINGLIUS* in sua *ad Lutheri Librum Responsione* Opp. Tom. II. p. 382. Quicumque vero sacris Symbolis majorem quam ipsis debetur vim tribuunt, dum Sacramenti dignitatem extollere sibi videntur, tantundem Gratia divina detrahunt; & quæ sit Reformationum Doctrina aut ipsi nesciunt, aut nescire volunt. Dispi-

Dispiciamus vero nunc etiam de SIGILLI vocabulo, quod alterum disputationis caput constituit. Ostendit Clariss. *Zimmermannus* Differt. suæ §. IX. Errorem illum practicum, quem debellandum sibi sumsit, in hoc vocabulo præsidium aliquod quærere, quum vim illius Comparationis in eo positam esse sibi persuadeant plurimi, quasi externa Symbola, beneficia morte Jesu Christi parta non tantum vivide nobis repræsentent; Sed etiam insita quadam virtute omnes, qui eorum participes fiunt, suæ cum Deo reconciliationis & remissionis peccatorum certos & securos reddant, quemadmodum per Sigilla homines certi reddantur, rem aliquam ad se pertinere; atque hac sola cogitatione omnem Sigillorum applicationem absolvi; *Quam certo foris S. Symbola accipio, tam certo remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo intus mihi confertur & obsignatur.* Hanc vim seu potestatem huic vocabulo & comparationi non posse subesse, postquam pluribus docuisset; tandem subjicit: *Quod si quis, eorum scil. qui huic errori favent, Voci SIGILLI inhærerere velit, sensu neglecto, dicam, quo Sensu S. Cœnæ usus ita appellari possit: postquam scil. satis superque ostendi, quo sensu ita appellari non possit. Nimirum quando homo pius, occasione S. Cœnæ, cum ad mortem J. Chr. religiose respicit, (en hic Signum habes!) tum vero ad præsentem mentis suæ sanctificatæ statum attendit, recordatur præsentibus illis externis Signis in oculos incurrentibus, mortem illam cruentam Soteris SVI efficaciam suam in se exeruisse, (en hic obsignationem!) conversionemque suam Jesu duntaxat crucifixo deberi, atque ita nova quadam ratione incitatur, ad Jesum supra omnia amandum, & ad officia hominis*

nis

nis christiani sedulo præstanda. Hoc sensu pii possunt dici accepisse Sigillum justitiæ Fidei. Quid amplius dici possit de Vi Obsignandi in S. Cœna equidem non intelligo ; & qui in his acquiescere non volunt ; satis superque produnt, se vocabulo pertinaciter inhære, sensu neglecto, neque etiam ab errore illo, quem supra a Clariss. Zimmermanno rejici diximus, esse prorsus immunens : Quas vero non hi homines sanctas iras animo concepissent, quos non clamores concitassent, si Clariss. Zimmermannus b. ZUINGLI sententiam, suppresso ejus nomine, suam fecisset ? Hic enim in primo de Baptismo Tractatu Opp. Tom. II. p. 63. in hanc rem hunc ad modum disputat : Ceterum ut de Signis quoque nonnulla dicamus, imprimis necessarium est, ut ERROR, quo & nobis a quibusdam impositum est, in lucem omnibus conspiciendus protrahatur. Quosdam in ea opinione fuisse cernimus ut docuerint, Signa in hunc finem data esse, ut FIDEM internam CONFIRMENT, & id, quod edocti sumus, aut quod nobis promissum est, ceu SIGILLO quodam infallibili OBSIGNENT. Qui hæc tradidere a vero longissime ABERRARUNT. Natura tamen sic comparatum est, ut promptis animis nonnunquam ea excipiamus, quæcunque aliquam veritatis Speciem prima fronte præ se ferunt, & Autorem aliquem habent insignem & eximium : ita ut cæcutienti animo, inconsultis divini Verbi Oraculis, & interno homine, i. e. Fide, in rem aliquam utcunque absurdam præcipientes irruamus. Nec tamen negamus, esse Signa quædam in hunc finem divinitus nobis concessa, ut in Fide certiores magisque securos reddant, & carni, quæ nunquam non novis turbis Fidem exagitat, aliqua ex parte satisfaciant : Hæc autem Signa

miraculosa sunt, NON SACRAMENTALIA; quibus Moſis virgam, Gedeonis vellus, & alia quædam hujus generis infinita, quæ veteribus olim tradita ſunt, adnumerare licet. Nos vero non de Miraculis h. l. ſed de Signis, quæ recipientes vel inſigniunt, vel eodem officii & debiti ſui admonent (cum interim Miracula non ſint) diſputamus: qualem veteribus Circumſiſionem fuiſſe conſtat: NB. Nec enim hæc Abrahami Fidem confirmavit, quin potius Fœderis & datæ Fidei (ut ſic dicam) Signum inter Deum & Abrahami genus & poſteritatem extitit. Abrahamo enim tum demum Circumſiſionis Signum datum eſt, cum jam ante per Fidem juſti nomen & titulum a Deo recepiffet, quemadmodum Genefis XV ſacra Hiſtoria teſtatur. Circumſiſionem vero initi Fœderis Signum, nec in hoc ut Fidem confirmet inſtitutum eſſe, ipſius Dei verbis manifeſtum fit. - - -
 - - - Similiter in N. T. Baptiſmus Fœderis vel Pacti Signum eſt, NB. non in hunc finem inſtitutum, ut eum, qui baptizari ſolet, juſtum efficiat vel Fidem baptizati confirmet: Impoſſibile enim eſt, ut res aliqua externa Fidem hominis internam confirmet & ſtabiliat. Nec enim ab externis Fides ipſa originem ducit; ſed a Deo animos noſtros trahente proficiſcitur. Nihil ergo eorum, quæ externa ſunt, Fidem firmare, vel nos in illa certiores reddere poteſt. Quod idem ſimili ratione de Euchariftia quoque, vel Cœna Domini pronuntiamus. Equidem plures alii b. ZUINGLIJ loci in hanc rem excitari poſſent, quibus Sacramenta, tanquam Sigilla, habere vim confirmandi vel augendi Fidem, aſſa voce negat: eamque tantum illis vim concedit, quod Fidei auxilium opemque ferant, dum velut frena Senſus ad cupita ſua excuſuros revocant

cant ac retrahunt, ut menti Fideique obsecun-
 dent ; Sed unum hunc in præsentiarum sufficere
 existimavi , in quo dedita opera mentem suam
 de hac re clare & perspicue exposuit. Et quan-
 quam Fides nostra non humana auctoritate nita-
 tur , demonstrandum tamen erat iis , qui alios
 in desertæ avitæ Majorum Doctrinæ crimen ac
 invidiam vocare & adducere student , quod aut
 ipsi ignorent , quæ fuerit Majorum doctrina,
 sed dum verbis eorum inhærent , sensum cor-
 rumpant & relinquunt ; aut quod suam ipsi sen-
 tentiam imprudentes condemnent in aliis. Quod
 si tamen ulla humana Autoritas in hac contro-
 versia quicquam valeat, b. ZUINGLII nostri Con-
 sensus omnium minime repudiari poterit, quan-
 doquidem ejus Ingenio & opera Deus in restitu-
 enda Ecclesiæ nostræ Veritate illa de vero S. Cœ-
 næ usu & fine maxime usus est. Ceterum præ-
 staret , meo judicio, ubi Quæstio incidit de S.
 Cœnæ usu & fine, ipsum dulcissimum Soterem
 nostrum , qui Sacri hujus Instituti Autor & præ-
 cipuum Objectum est , ejusque post discessum
 suum Internuntios, S. Apostolos animo discendi
 avido sine interprete primum adire , hos in pri-
 mis consulere , hos audire , & in eorum pla-
 na ac dilucida Sententia pia mente acquiescere :
 Hos vero si de hocce argumento consulamus,
 non aliud respondent, quam τὸτο ποιεῖτε εἰς τὴν
 ἐμὴν (h. e. Jesu Christi tanquam Soteris nostri)
 ἀνάμνησιν. Luc. XXII: 19. I. Cor. XI: 24. Quod
 si iterum quæras , non aliud responsum feres
 I. Cor. XI : 25. Si tertio instes , atque etiam
 ostendas te sublimiorem aliquem hujus Mysterii
 Finem requirere , audies illud : Ὅτανις ἀν' ἐσθί-

πτε τὸν ἄρτον τῆτον, καὶ τὸ ποτήριον τῆτο πίνετε,
 τὸν θάνατον τῆ Κυρίε καταγγέλλετε, ἄχρις ἔ αν
 ἔλθῃ. I. Cor. XI : 26. Quis autem dubitaverit
 hunc præcipuum esse S. Cœnæ finem, quem
 Christus & Apostoli unice commendant? Neque
 vero eum, qui in his nondum velit acquiescere,
 quicquam juvabunt verba illa Institutionis : *Hoc
 est corpus meum.* &c. Præterquam enim quod
 verba illa juxta omnium Reformatorum Theolo-
 gorum sententiam ac consensum, nihil aliud sig-
 nificare possunt, nisi : Hic Panis repræsentat
 vel *significat* Corpus Christi quod pro nobis tra-
 ditum est ; vel, Hic Panis est *figura, imago,
 Symbolum, μνημόσυνον* Corporis Christi pro no-
 bis traditi ; sive ; Hic ritus, hæc cærimonia,
 hic Festus dies est *commemoratio* sive gratiarum
 actio pro Christi corpore pro nobis tradito ; ut-
 pote quæ sunt *ἰσοδυναμῆντα* : Hæc Enuntiatio nul-
 lam continet promissionem : B. Zuinglius in sua
ad M. Lutheri contra Suermeros, Apologia, Opp.
Tom. II. p. 371. ita de hac re differit : *Christi
 verba, Hoc est corpus meum, promissionem nul-
 lam continent : Quæ enim ibidem subdit Dominus,
 Facite hoc in mei recordationem, de promissione
 intelligi nequaquam possunt. Fucio igitur quodam ni-
 mis dolose nobis imponere conatur Lutherus, cum de
 Christi verbis, quibus in Cœna usus est, perinde dij-
 putat, ac si promissionis verba essent.* &c. Quan-
 tum vero ad SIGILLI vocabulum adtinet, ob-
 servatione perquam dignum est, istud vocabu-
 lum, istamve Comparisonem, in S. Scriptura
 de N. T. Sacramentis nusquam adhibitam legi ;
 quin potius si Spiritum S. in Scripturis loquen-
 tem consulas, atque ex eo devota mente quæras,
 Quo.

Quodnam sit SIGILLUM (σφραγίς) credentium, quo illi tanquam res & peculium Dei, ad solum eum pertinens, signentur & obsignentur? hoc non esse aliud quam SPIRITUM S. accipies: Testatur enim Paulus disertis verbis Eph. I. 13. 14. Ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ὃς ἐστὶν Ἀρράβων τῆς κληρονομίας ἡμῶν, εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως. Conf. cap. IV: 30. & 2. Corinth. I: 21. 22. *Qui nos vobiscum confirmat in Christum, & unxit nos, qui etiam obsignavit nos, & dedit nobis Arrhabonem Spiritus in Cordibus nostris.* Equidem in uno illo ad Rom. IV: 11. loco dicitur, quod Abrahamus, postquam Fide jam esset justificatus, acceperit Signaculum Circumcisionis, tanquam σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστία. Et quanquam rectissime doceant Theologi, ob Analogiam & communem Sacramentorum rationem, hoc Vocabulum, hancque Comparisonem transferri posse ad reliqua quoque Sacramenta; mihi tamen certum est, non sine gravissima ratione Spiritum S. Christum & Apostolos in hujus Comparisonis & denominationis usu de Sacramentis adeo parcos fuisse, ut nonnisi unico in loco, & quidem non directe de N. T. Sacramentis, neque de Circumcisione in genere spectata, sed de Circumcisione Abrahami jam ante fide justificati semel usurpaverint. Deinde vero nemo dixerit, Sacramenta eadem prorsus vi, eodemque sensu, quo (*) Spiritus S. σφραγίς dicitur, etiam σφραγί-

Kk 3

δας

(*) B. ZUINGLIUS in *Exegesi Eucharist. negotii ad M. Lutherum* Opp. Tom. II. p. 338. Qui firma in Deum est fide, nulla re potest confirmari, quam ea, qua Fides

das beneficiorum promissorum appellari posse ; & eandem prorsus esse vim Similitudinis , cum Sacramenta cum Sigillo Fœderis , redemptionis & hæreditatis comparantur , atque vero si ipse S. Spiritus multis in locis nobis sub hac imagine diferte repræsentatur : Ex quo hoc efficitur , Sacramenta non omni , & ne quidem augustissimo Sensu, *Sigilla* dici. Denique quid de vi ac notione Vocis *Σφραγίς* in loco illo ad Rom. IV : 11. statuerit B. ZUINGLIUS operæ pretium erit cognoscere : Hic vero in *Tractatu III. de Pædobaptismo* Opp. Tom. II. p. 84. ubi hunc locum multis ac data opera exponit , inter alia hæc habet : *Ex hisce Dei verbis (Gen. XVII.), quinam proprius & genuinus verborum Pauli sensus sit , intelligimus , quibus ad Romanos scribens Cap. IV. utitur , sic dicens : Abraham Circumcisionem accepit Signaculum Justitiæ Fidei, quam habuit in præputio. Quem locum CATABAPTISTARUM turba minus probe intelligens , hinc concludere conatur , Circumcisionem cum præcedentis Fidei Signum sit , tale esse Symbolum , quo Fides illa præcedens sit confirmata. Tandemque in hanc Sententiam concludit : Sensus ergo verborum Pauli ad Rom. IV. Capite est , Abraham accepit Circumcisionis Signum , ut esset Signaculum vel Sigillum Fidei : Non quod Circumcisio tale Sigillum fuerit , quo Fides ipsius interna obsignata vel augeri vel retineri possset, (hæc enim nullo externo Signo vel confirmari vel obsignari*

nata est. Hæc autem est Dei Spiritus , qui bonitas , lux , robur est Conscientiæ , atque solus hoc est , quod dicimus. Nequit enim pia mens corpore vel pasci , vel firmari. Credere igitur carnis esu Conscientias firmari , cum Fidei jactura conjunctum est. Nullo enim eloquio Dei nititur.

nari potest); sed tale accepit Signaculum, quo obstringeretur, se hoc curaturum, ut omnis ipsius posteritas in veri Dei cognitionem (quantum in ipso esset) perduceretur, quemadmodum ex loco Deuteronomii supra citato cuiusvis videre licet. Neque vero solent, qui sapiunt, de verbis litigare: Hoc unum quæritur, in quo consistat illa Sacramenti, tanquam SIGILLI, obsignandi vis? Jam vero nemo Theologorum Reformatorum asseruit unquam, usum externorum Symbolorum in S. Cœna propria quadam vi promiscue omnes, qui illa accipiunt certos reddere de remissione peccatorum, ceterisque mortis Christi fructibus: Sed communi consensu docent, hanc obsignandi vim in eo positam esse, quod S. hæc Symbola sint Testimonium visibile ab ipso Domino institutum & Sensibus testificans ac confirmans Promissionem Fœderis Gratiae de Justificatione in Sanguine Jesu Christi, quatenus illa spectat ad solos quidem Fideles, eos tamen in universum spectatos tanquam Christo jam per Fidem unitos. Ita Celeb. Heideggerus in Corp. Theol. Loco XI. §. LII. mentem suam in hanc rem explicat: VERBUM operatur efficacia organica se auditui hominis ingerendo: SACRAMENTA efficacia Symbolica, VISUM FERIENDO: Spiritus S. seu Sigillum & Arrhabo, efficacia propria & principali gratiam OBSIGNANDO. Nihil equidem Verbo promissionis Dei in se majus, potentius, efficacius, & notius est. Nihilominus ea est hominum infirmitas, ea Dei infirmitati huic opitulantis bonitas, ut Sacramenta cum Verbo conjuncta fidem nostram ex Dei liberali instituto mirum quantum fulciant, & sustentent. SIGILLA ergo sunt Sacramenta, non quod Certitudo Verbi ex iis pendeat, sed quia Deus per illa Promis-

siones suas, per se ἀξιωματικῶς, fortius imprimit, & acriori Sensu animum ferit: Nam

*Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

Et mox: Denique Sacramenta Promissiones confirmant, non quod doceant, illas esse Promissiones Dei, vel quod magis Sacramentis, quam Promissionibus Fides habenda sit; sed quia cum Verbo sociata potentius movent, & divinas Promissiones animo fortius imprimunt. Sicut filum duplicatum simplici præstat, & συμφερότην ἀγερῆν juvat; & duo testes uno certiores sunt. - - - Unum nihilominus Verbum est, quod per præconium auditur, & per Sacramentum videtur; illud audibile, hoc visibile: una res est, quæ auditur & videtur. Non enim Sacramenta sunt nisi Sigilla Verbo appensa. Atque Sigilla non aliud confirmant, quam quod Literæ continent. Atque hoc ipsum, quanquam SIGILLI vocabulum aspernari videatur, inter fructus S. Cœnæ adnumerat B. ZUINGLIUS, atque in Expositione Fidei Christianæ quam planissime exponit: Scis δ Rex, Fidem nostram semper excerni ac tentari: Cribrat enim cum Apostolis nos Satanas sicut triticum. At qua nos arte petit? Domestica proditione, per corpus enim, velut per veterem ac ruinosam muri partem, admotis ad Sensus nostros cupiditatum scalis, obruere satagit. Cum ergo Sensus alio vocantur, quam ut aurem illi præbeant, jam minus procedit ejus consilium. Nunc autem in Sacramentis non modo negantur Sensus Satanae Suadelis, sed etiam Fidei manciantur, ut jam velut ancillæ nihil aliud agant, quam quod agit jubetque vera Fides; adjuvant ergo Fidem. Sed palam loquar. In Eucharistia quatuor potentissimi, im-

mo universi Sensus a carnis cupiditatibus velut vindicantur ac redimuntur, & in obsequium Fidei trahuntur. *Auditus* cum jam non Symphonias chordarum diversarumque vocum harmoniam, sed cœlestem vocem audit: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum pro vita illis dederit. Adsumus ergo Fratres ut pro ea in nos liberalitate gratias agamus: Ipsius enim Filii jussu merito istud facimus, qui jamjam moriturus hanc Gratiarumactionem instituit, ut perpetuum amoris ergo nos sui *Μνημόσυρον* ac pignus relinqueret. Accepit autem Panem, gratias egit, fregit, deditque discipulis hæc, sacra simul effatus de sacratissimo ore verba: Hoc est corpus meum. Aequè & calicem accepit. &c. *Cum ista, inquam, Auditus accipit, an non totus consternatur & admirabundus in hoc unum quod prædicatur intentus est? Cum Deum audit, cum amorem illius, cum Filium pro nobis neci traditum? At cum hoc intentus est, an non idem facit, quod Fides? Fides enim est, quæ Deo per Christum nititur. Auditus ergo cum ad idem spectat, jam Fidei ancillatur, jam Fidem non molestat suis frivolis istis cogitationibus ac studiis. Visus cum panem videt ac calicem, quæ vice Christi, ut illius bonitatem ingeniumque significant, annon & ille Fidei obsequitur? Christum enim velut ante oculos conspicit, quem mens ejus inflammata pulcritudine deperit. Tactus panem in manus sumit, qui jam non panis, sed Christus est significatione. Gustus Olfactusque & ipsi huc advocantur, ut odorent, quam suavis sit Dominus, quamque beatus sit qui in illo fidit. Ut enim illi cibo gaudent & expergefunt; sic mens hunc cœlestis Spei suavem nacta gu-*

stum gestit & exultat. Adjuvant ergo Fidei contemplationem Sacramenta, concordant cum mentis studiis, quod aliàs citra Sacramentorum usum non tantopere tantoque fit consensu. Hanc autem obsignandi vim non exerunt Sacramenta, nisi Fide recte applicata; Sigilla enim jus aliquod in rem verbis aut scripto promissam non conferunt, sed jus tale in eo cui quid obsignant præsupponunt; & quum Sigilla Fœderis gratiæ sint, non ad alios pertinent, quam ad quos pertinet ipsum Fœdus gratiæ, cujus Sigilla sunt, adeoque ad Ecclesiam electorum & credentium: Recte proinde cum *Celeb. Heideggero Corp. Theol. Loc. XI. p. 397.* concludimus: *Qui aliter sentiunt & loquuntur, manifeste Testamentum Gratiae mutant, & Φαρμοακείας in Religionem Christianam inducunt, ut Sacerdotes esse θεοματῆργοι existimentur. Neque omni culpa vacant, qui Sacramenta ita Gratiae ὀχήματα, VEHICULA & CANALES faciunt, ut perinde rem cœlestem v. gr. Eucharistia cibum cœlestem oris corporalis & dentium vehiculo advehant, atque os cibum corporalem, panem, vinum, stomacho advehit: Quod ἀλλόκοτον est, tum quia haud raro Sacramenta Christum & ejus beneficia collata sequuntur, & acceptam jam Justitiam obsignant: tum quia Deus externis Symbolis vices suas non resignat, sed solus Spiritu suo id præstat, quod per Symbola præstitum, vel præstandum credentibus significat & obsignat: tum quia os & manus Christum ejusque beneficia recipiens atque vehens non aliud est, quam Fides. Joh. I: 12. VI: 35. Ipsa vero Applicatio Sigillorum in S. Cœna, quæ vera est obsignatio, a Spiritu S. vera Fide peragitur;*

agitur ; quod Celeb. Heideggerus l. c. diserte agnoscit & pronuntiat : *Manet ergo , Sacramenta Gratia Sigilla esse , non eam vi propria Elementis indita conferre vel CONFIRMARE , sed a Spiritu S. conferendam & confirmandam , vel collatam & confirmatam OBSIGNARI ; eodem SPIRITU S. cor nostrum tali ratiocinatione vel Syllogismo pratico movente :*

Maj. Quisquis vera Fide Signis sacramentalibus utitur , ei verax & omnipotens Deus res signatas , earumque certitudinem , intus tam certo confert , quam certo foris Signa accipiuntur :

Min. Atqui ego sic Sacramentis utor , (seu vera & justificante Fide cum Christo Jesu sum conjunctus) :

Ergo ,

Dicant vero jam nobis , qui in oculis *Sigilli , Obsignationis* nescio quod Religionis Christianæ palladium quærent , illisque nec rite intellectis , nec clare expositis pertinaciter inhærent , qua hujus Ratiocinii Enuntiatione vis illa obsignandinitatur ? Respondebunt sine dubio hanc vim pendere à *Minore Propositione* , in qua statuo , me talem esse , cui ex divina ac liberali Promissione per Fidem aut conferenda , aut jam collata sit Gratia illa , quæ in S. Cæna per Symbola externa Sensibus meis tanquam sub viva imagine repræsentatur : Unde vero talem me esse mihi constat ? certe non ex hoc quod de externis Symbolis participo ; sed ex Spiritus S. testimonio , qui in animo meo clamitat *Abba ! Pater !*
atque

atque Spiritui meo contestatur, me esse Filium Dei. Quod si vero illa obsignandi vis, quam Sacramento ut propriam relinquunt, *Majore Syllogismi Propositione* explicatur, illa a Verbo Promissionis, quæ cum conditione Fidei est conjuncta, non erit diversa, atque indefinite sine applicatione ad hoc vel illud Subjectum seu Individuum in universum tantum pronuntiat ac fidem nobis facit, beneficiâ ac fructus mortis Domini nostri Iesu Christi, in Sacramento quasi per Signa sub viva quadam imagine repræsentatos pertinere, non definite ad hunc vel illum, sed in universum ad omnes vera Fide donatos: Hæc itaque obsignatio consistit in professione præcipuæ illius veritatis, quæ caput & summam Religionis Christianæ absolvit, nempe quod Jesus Christus morte sua factus fuerit Salutis Causa omnibus qui eum vera Fide complectantur; quam Veritatem, in qua ceu cardine vertitur totum Salutis nostræ negotium, Deus in Sacramentis typis aliquot & suffigurationibus elegantissimis nobis adumbrat, ac varie commendat & inculcat, ne unquam animis nostris vel excidat, vel vilescat, aut ullis denique tenebris involvatur, sed sempiternis temporibus ceu Sydus aliquod piis illucescat, fulgeat, ardeat.

Quod reliquum est, præterire non possum, quominus locos quosdam de efficacia Sacramentorum, quatenus tanquam Sigilla Fœderis Gratiæ ad solos fœdere conjunctos pertinent, colophonis loco adjiciam: *Bullingerus* in *Sermone de Cœna Domini* recitato in Concione sacra Tiguri XIX. Decembr. 1557, in quo paucissimis, & tamen dilucide fatis, totum Cœnæ dominicæ negotium

gotium ceu spectandum oculis subjicitur, p. m. 14. hæc profitetur: *Agnosimus, Christum esse cibum & potum vitæ, qui spiritualiter a nobis per Fidem percipiatur; non autem carnaliter aut corporaliter præsens ore corporis manducetur. Agnosimus Fideles vere communicare cum Christo: Communionem tamen illam Fideles neque ad tempus, neque ad elementum sic restringunt aut alligant, quin ipsum etiam extra Symboli usum haberi fateantur. Utrobique eadem est ratio communionis Christi, nisi quod in Cæna magnifice illa, quæ Christus facere jussit, a fidelibus fiunt, non sine fructu eximio. Quapropter nemo Symboli usum inanem aut supervacaneum esse arbitratur: Cornelius Baptismum non sprevit aut supervacaneum credidit, sed ut lavacrum regenerationis accepit, qui tamen & ante Baptismum credidit & Spiritu S. fuerat perfusus. Unde nec Cæna a nobis frustra accipitur, qui probantes nos ipsos juxta mandatum Apostoli non sine Fide, adeoque cum Christo habitante jam in cordibus nostris accedimus ad Cænam: Communionem enim, quam cum ipso habemus, in celebratione Cæne continuamus & quodammodo reparamus, perficientes maximo jam etiam cum gaudio, quæ Dominus jussit facere in sui memoriam. Quanquam dubium non sit, negligentius ad Cænam accedentibus, in ipsa etiam celebratione Fidem non raro infundi posse, ut Christi fiant participes: Quis enim liberali Deo modum aut tempus præscribat? Hactenus ille. Quod vero ad specialem illam Gratiam & Sensum lætitiæ, quem nonnulli cum usu Cænæ sacræ indivulso nexu conjunctum esse vendi-*

venditant, adtinet, multos sibi hac in parte sæpe illudere, illumque Sensum etiam aliquando ex caussis naturalibus, sine inusitato aliquo auxilio, oriri posse, exemplo declarabo, quod opportune memini me legisse apud ZUINGLIUM in *Libro de Baptismo*, Opp. Tom. II. p. 71. b. *Certa inconcussa & infallibilis hæc mihi stat Sententia (quam si universi mundi autoritas & potentia oppugnare velit, non quicquam tamen efficiet) nullum Elementum extrinsecus adhibitum quicquam ad animarum purificationem conferre. Quapropter cum quidam ex Catabaptistarum numero in publica illa Disputatione palam confiteretur, se se recepto aque Baptismo magnam animi relaxationem adeoque tranquillitatem confestim sensisse: Interrogabat ab illis Myconius noster: Annon antea magna animorum sollicitudine, cura & anxietate detenti Baptismum affectavissent, solliciti nimirum, quo pacto illum reciperent? Quod quidam ingenue confessus rem sic se habere dixit. Tum Myconius, Hæc igitur animi tui relaxatio, inquit, & tranquillitas, quam subito obortam esse dicis, non quicquam aliud est, quam quod baptizatus omnem curam, qua prius propter Baptismum destringebaris, deposuisti. Atqui tum novi quippiam per Baptismum hunc vobis divinitus contigisse arbitramini.*

T A N T U M!